

vivam Deo petit hostiam. » Ad Romanos XII. videlicet: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Optime etiam Hugo Victorinus, libro III. de claustris, capite X. scribit: « Quando ex senectutis defectu aures obturantur, oculi turbantur, et, ut breviter cuncta perstringam, ipsi in se et per se deficiunt: hi non offerunt agnum immaculatum, sed, ut ita dicam, porcum saginatum. » Sanctus Augustinus, homilia XLI. ex L. dubiam valde asserit poenitentiam quæ ab infirmo fit. « Vis te dubio liberare, inquit? Age poenitentiam dum sanus es, quando peccare potuisti. » Ita enim monet Ecclesiasticus, c. XVII. § XXVII. « Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificaberis in miserationibus illius. »

IV. Rara et infrequens est; quia subtrahitur sæpe vita vel Dei gratia, eousque poenitentiam differentibus. Ita in primis testatur D. Isidorus, libro II. de officiis Eccles. capite XVI. « Non dubitamus, inquit, circa finem justificari hominem per poenitentiam compunctionem: sed quia raro id fieri solet, metuendum est, ne dum ad finem differtur conversio, incerta occupet mors, priusquam veniat poenitentia. Pro qua re etsi bona est ad extremum conversio; tamen multo melior est quæ longe ante finem agitur, ut ab hac vita securius transeat. » Hinc accedit Sanctus Gregorius, lib. XV. moral. cap. XXIV. « Sæpe ii, qui diu in iniquitate tolerati sunt, subita morte rapiuntur, ut nec flere ante mortem liceat quæ peccaverint. » Merentur enim tales presumptuosi privari iis bonis, quæ temere sibi arrogant cum a sola Dei liberalitate et misericordia pendant, qualis est vita longæva et Dei gratia. Quemadmodum enim pater filio, qui ad studia missus perpetua instituit convivia, et profundam omnem pecuniam suam in canes, scelopos, equos, parasitos, vestium luxum, etc. tandem subtrahit manum, et nihil aut parum admodum pecuniæ transmittit; ita etiam Deus eos, qui ipsius gratia et vita sibi concessa diutius abutuntur, tandem destituit conversionis gratia, aut abripit morte subita. « In curia cujusdam militis, inquit Cæsarius, celebris et religiosus auctor in mirac. et lib. X. capite LX. sicut a quodam religioso viro veraciter audivi, nidus erat ciconiarum, maris scilicet et femina: illa, absente masculo, adulterium admittens frequenter paludi, quæ domui proxima erat se immersit. Quod cum miles notasset, causam scire volens, fossam sepibus operiri præcipit. Quid plura? Cum illa admissio scelere solitam quam peteret, interim mas venit, crimen agnovit, adulteram rostro impetivit; ad cujus interfectionem cum solus non sufficeret, cum furora

avolans, et post horam rediens, multis sibi ciconiis associatis, in oculis omnium, qui in curia aderant, miseram interfecit. » Simili animadversione punit sæpe Deus, et quidem justissime, eos, qui sub presumptione poenitentia, quæ se abluendos a peccatis nullo negotio et sine dubio præsidunt, ut viam vici ad poenitentia lavacrum obstruat. Quo sensu etiam capi potest quod per Oseam, capite II. ait: *Eccc ego sepiam viam tuam spiritus, et sepiam eam macerata, et semitas tuas non inveniet.* Non invenerunt certe filii Heli, qui scelerate viventes, cum corripuerentur, dicebant: *Quando senuerimus, tunc poenitebimus, ut scribit Philo Hebræus, in antiquit. biblicis.* In hujus enim vanæ confidentia aut sanæ irrisionis vindictam factum est, ut uno die ambo in prælio occiderentur, priusquam ad canos pervenirent aut resipiscerent; id quod Deus patri, eorum comminando prædixit, per virum Dei I. Regum II. *Præcidam brachium tuum, ut non sis senex in domo tua.* Exemplum sibi notum refert Cæsar Recupitus, e s. n. in opuse. de sig. prædest. capite IV. « Novi adolescentem, inquit, nobilem, qui lascivis amoribus implicatus, dictitabat satis sibi fore ad salutem, si ante mortem, unam horam vel alteram ad poenitendum haberet; enim vero tunc actum a se perfectæ contritionis eliciendum, quo salvus fieret. Infelix! Cum quadam nocte post epulas ad peccandum accederet, repentino lapsu contracta cervice, non una aut altera, sed novem et decem horis supervixit, sine voce, sine sensu; ac nullo edito poenitentia signo misere periit. »

V. Injuria est Deo, dum nonnisi facem vini offert, totum vini vas dæmoni consecrat. Quæ de re conqueritur Deus, Mich. VII. *Væ mihi quia factus sum, sicut qui colligit autumnos racemos vindemia, (Chald. post vindemiam) non est botrus ad comedendum.* Totam ergo vitam vineam dare vindemiandam diabolo, et Deo nonnisi pauculos botros, qui fugerunt manus vindemiantium, nonne hæc grandis injuria est? Audiamus Senecam, libro de brevitate vitæ: *Non pudet te, inquit, reliquias vitæ tibi reservare, et id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quæ sententia explicat id quod diximus; reliquias vindemiae salutem nostram et Deo dare prorsus turpe et propudiosum esse. Idipsum alio simili declarat Sanctus Chrysostomus, Ps. XIV. « Si nullus nostrum, inquit, vult possidere servum senem, nec qui habet delectum exercitum, senes refert in numerum; imperante autem necessitate et vi impellente, tunc senes etiam ad bellum proficiscuntur: multo magis regnans virtus mavult adolescentiam, quam senectutem, etc. » Hinc*

justo Dei judicio, sæpe: *Tali animadversione percutietur peccator* (inquit Sanctus Augustinus, sermo e III. de Innocent.) *ut moriens obliviscatur sui, qui cum viveret oblitus est Dei.* Querit Abulensis, ille in libro Josue, quæstione XLII. cur Achæan furti reus, dum inquireretur Dei jussu per fortes, fuga sibi non consuluerit; et hæc inter alias causas, meo judicio veriores reddit: quia, ex Dei vindicta, ignavus obtorpuit metu, ne pedem loco movere posset, et mens ac ratio ab eo fugit, ita ut nesciret an et quorsum sibi fugiendum esset; quomodo de Pharaonis exercitu dicitur Exodi XV. *Fiant immobiles quasi lapis.* Et quomodo homicidæ sæpenumero ita dejiciuntur a ratione, ut nesciant fugam inire post patratum facinus; idem peccatoribus contingere multoties in ultimo vitæ discrimine solet, ut, Dei ac salutis suæ prorsus oblitus, de poenitentia nihil cogitent. Exemplo est comes quidam Matisconensis, de quo hæc refert Petrus venerabilis abbas Cluniacensis, libro II. de miraculis, capite I. « Hujus urbis (Matisci) principatum quodam tempore sub nomine comitis quidam obtinens super personas et res ecclesiasticas, execrandam tyrannidem exercebat. Longe enim exuperans aliorum prædonum nequitiam non solum ex parte Ecclesiarum substantias diripiebat, sed redditus earum omnes cum suis possessionibus sibi tyrannica violentia subjugabat. Nam canonicos de Ecclesiis, ipsos etiam monachos de monasteriis suis ejiciens, terras omnes, redditus omnes, et quæcumque eis ad hujus vitæ subsidium a majoribus data fuerunt, immisericorditer abstulit, juriq; proprio mancipavit. Ostenduntur adhuc ab incolis antiquarum ecclesiarum ruinae, ex quibus ipse sacræ religionis cultores ejiciens, venerabilia loca, omnipotenti Deo religiose servientium multitudine referta, in eremi solitudinem redegit. Ita se totum Deo subtrahens, mundo dedicans, gehennæ et tremendorum Dei judiciorum oblitus, ut evangelicus ille iudex, nec Deum timebat, nec hominem verebatur. Cumque diu concessa potestate abusus, quotidie se ipso deterior fieret, nullaque jam spes correctionis ejus existeret, iram adversus se omnipotentis Dei jam non revocandam commovit, atque in se dirissime expertus est Scripturæ sacræ sententiam dicentis: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Et quia nequitia ejus non occulta sed publica, non cum timore sed cum audacia Deum provocaverat, non latenter sed publice, non tantum invisibiliter sed etiam visibiliter, terribile factus est tyrannus principibus in exemplum. Nam cum solempni die Matiscone in proprio palatio resedisset, eumque multitudo tam militum quam diversi ordinis circumstaret,

repente ignotus homo equo insidens, per ostium palatii ingressus, omnibus conspicientibus et admirantibus, usque ad ipsum equitando pervenit. Cumque ei adstaret, se ei velle colloqui dicens, ut surgeret, ac se sequeretur, non tam monuit quam imperavit. At ille invisibilis potentia constrictus, nec jam resistere valens, surrexit, atque usque ad ostium domus processit; ubi equum paratum inveniens, eumque ab eo conscendere jussus, ascendit. Cujus statim habenas ille corripuens, statim cum velocissimo cursu per aera ferri, cunctis conspicientibus cepit. Cumque immenso ejus clamore ac miserabili ejulatu tota civitas commota ad tam invisum spectaculum concurrisset, tamdiu eum per aera currentem attoniti conspexerunt, quamdiu naturali oculorum acie eum subsequi potuerunt. Qui cum eum diu: Succurrite cives, succurrite, vociferantem audirent, nec juvare valerent, subtractus tandem visibus hominum, æternus, quod meruerat, factus est socius dæmonum. Ab hoc tamen horrendo spectaculo universi ad propria recedentes, sicut supra dixi, horrendum esse incidere in manus Dei viventis, exemplo inaudito et miserabili didicerunt, » ita vener. ille abbas. Quis hic non videt comitem istum in extrema calamitate oblitum fuisse sui? Ecce enim, per aera raptus, a civibus opem postulat? Quis enim ex illorum numero post ipsum evolare et miserum dæmoni eripere, atque in terram deponere posset? Ad Deum exclamare, ejus misericordiam invocare debebat. Sed nimirum, quia vivens oblitus fuit Dei, ideo moriens oblitus est sui. Actum est de humano auxilio, quando peccator incidit in manus Dei. Arabum proverbium fuit: *Nata in aqua ante vesperam.* Siquis enim de die in undis periclitetur, spes est ad futurum periclitanti auxiliatorem: sed, si de nocte in aquas cadat, quis eis succurret? Dies est, dum tempus poenitentia est, et tum auxiliarem manum porrigere sacerdotes possunt: at cum ingruit nox, et funesta instat mors, Deique vindicta jam sævit, quis prædam jam comprehensam dæmoni eripiat? Itaque: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te, Eccles. V.*

CONCIO IV.

QUOMODO VERBUM DEI AUDIENDUM.

I. Sustinendus concionator. — II. Sedulo attendendum. — III. Custodiendum Dei verbum.

THEMA.

Eccc jam triduo sustinent me. Marc. VIII.

Bene quidem pavit et saturavit Dominus

turbas, et quidem iteratis vicibus: non videntur tamen turbæ multum in pietate inde profecisse. Nam cum prima vice eas pavisset, quæsierunt quidem Dominum: sed quid ait illis? *Quæritis me, non avidistis signa* (ad credendum), *sed quia manducastis ex panibus et saturati estis*, Joan. VI. Post hodiernam refectionem, Pharisei et Sadducei non contenti hoc signo, petierunt signum de cælo: discipuli vero obliti panes sumere in navim, solliciti sunt de panibus. Quare utrosque jure merito reprehendit Dominus. Idem puto raro contingere concionatoribus: proponunt illi panem verbi Dei (non minus necessarium homini atque est panis naturalis: *Quo deficiente*, ait S. Hieronymus, in VIII. cap. Amos, *perit pudicitia, castitas moritur, et omnes abeunt virtutes*) suis auditoribus et toties ac toties; nec tamen inde fructum magnopere deprehendunt. Quid igitur est causæ? Videntur mihi multi non ita hunc cibum sumere, sicuti deberent, nec qualis sit agnoscere. Quare dicamus aliquantum de modo accumbendi ad hunc panem.

Sapiens, in lib. Sap. c. VIII. a suis auditoribus tria potissimum requirit: *Tacentem me sustinebunt: loquentem me respicient: sermone me plura, manus ori suo imponent.* Quæ tria reperio etiam expressa in conviviis hodiernis. Patienter enim sustinent Dominum per triduum, donec eos reficiat; recumbunt in terram et respiciunt in Dominum, quomodo eos refecturus sit; denique manus apponunt ori suo et comedunt: quæ tria requiruntur a bonis verbi Dei auditoribus.

I. Sustinuerunt Christum partim tacentem et miracula patrantem, partim ambulatam et loquentem. Ergo antequam loquatur concionator, expectandus est animo ad audiendum præparato. Et primo, præmissa oratione juxta id Act. VI. *Nos in oratione et sermonis doctrina perseverabimus.* Unde Paulus etiam initio suarum epistolarum orat. Causa est tum quia concionator non nisi aures corporis, Deus autem aures cordis aperire potest: ita aperuit Lydiæ illius purpurariæ, Act. XVI. *Cujus Dominus aperuit cor intendere iis, quæ dicebantur.* Tum quia dæmon mox insidiatur auditui verbi Dei, sicut draco elephantis auribus, quas sua proboscide defendere nequit, teste Solino, de situ orbis, c. XXXV.

Secundo, formata bona intentione; qualis enim est intentio audiendi, talis erit et fructus. Audi Chrysostomum, homil. 1. imperf. cap. XI. « Unquamquodque membrum suscipit nutrimentum, et convertit ipsum in secundum suam naturam et dispositionem: ut puta, quod suscipit jecur, totum fit sanguis: quod autem suscipit fel, bilis fit totum: quod vero ascendit

in pulmonem, phlegmata efficiuntur: quod autem in mamillas, totum efficitur lac. Sic, sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, unusquisque autem convertit illud secundum proprium cor: ita ut unum ipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem perversis suscitetur iracundiam quasi bilem, in aliis autem operetur dilectionem dulcissimam quasi lac, in aliis vero odia quasi phlegma nocivum et expuendum. »

Tertio purificato animo ab affectibus erga peccata. Ecce olim auditoris verbum Dei, duobus ducibus Hebræorum, Moysi, Exod. III. et Josue, Jos. cap. V. præcipitur, ut prius calceamenta exuant, cum ambo essent justi? Utique, quia Deus ad audiendum verbum suum requirit non solum cor a peccati exuviis liberum, sed etiam ab affectibus inordinatis erga illud; siquidem auditores vocantur ut fiant duces et instructores etiam aliorum. « Quapropter hortor rogoque, inquit, S. Chrysost. hom. III. de David et Saule, ut prius confessione ac penitentia, aliisque remediis omnibus sese a peccato ex theatricis spectaculis contracto, perpurgent, atque ita divinos audiant sermones. Neque enim hic mediocriter a nobis delinquitur, id quod vel ab exemplis cuiusvis perspicue videre licet. Nam si famulus in arculam, ubi herilia vestimenta pretiosa aureaque recondita sunt, servilem tunicam sordibus ac multis pediculis refertam imponat, age dic mihi, num eam contumeliam æquo animo ferres? Quid autem si quis in vasculum aureum, in quo semper unguenta servari consueverint, stercore ac cœnum infundat? Annon et plagas infligeres ei, qui scelus hoc commisisset? Et post hæc scribitorum ac vasorum, vestium et unguentorum tanta cura sollicitabimur, animam vero nostram omnibus istis viliorum esse putabimus? Atque ubi spiritus infusum est unguentum, eo diabolicas pompas immitteremus? Eo fabulas Satanæ, eo cantilenas meretriciæ turpitudinis plenas? »

II. Recubuerunt in terra convivæ. Et quid hoc designat? Sedulam attentionem, ita scilicet ut mens non evagetur. Cogita pretium verbi divini. Ramenta auri quam curate colligunt aurifabri! Corporis Christi particulas sacerdotes! At verbum Dei non minus esse, vult Sanctus Augustinus, in LIX. homil. XXVI. ipso ejus corpore. Ideo Dominus jussit asservari panum reliquias, Joannis VI. Quærit idem Augustinus, sermone XXVI. de verbis Domini, cur Magdalena desidiæ et inurbanitatis notata a sorore non responderit, neque se excusarit vel uno quidem verbo, præsertim cum femine sint ad propulsanda crimina proclives; respondetque id

fecisse, ne vel uno verbo sermonem Christi interrumperet, vel audientis attentionem: *Si enim parares respondenti sermonem, inquit remitteret audiendi intentionem.* Legatos principum perorantes arrectis auribus audimus: cur non magis Dei legatos? Jannottus Manettus, Florentinorum legatus ad regem Aragonum Alphonsum: « Prolixam nec minus elegantem orationem dum pronuntiaret, attentionem patientiamque regis apprime miratus est, quod ne oculos quidem a se diutissime dicente minimum deflexisset, nec manus movisset. Sed et illud imprimis memoria dignum judicavit, quod cum a principio statim orationis naso regis musca supersedisset, non prius quam peroratum esset, rex illam abegisset. » Ita Panorm. in comm. regis Alph. l. 1. Ecce ad politicam perorationem tanta cum patientia attendit rex: judicate nunc annon pari, imo longe majori attentione aures verbo Dei præbere nos oporteat.

Secundo, neque sensus evagentur veluti circumspiciendo, loquendo, etc. Pictores sunt concionatores; ergo ut speciosas in auditorum animis imagines efforment, quieti et immobiles esse auditores debent velut tabulæ pictorum. Unde Chrysost. hom. XXX. in Acta: « Ingredere in pictoris officinam, inquit, et videbis multum illic silentium: ergo hic sit; etenim sic regias et pingimus imagines, et nullam privati hominis propter colores virtutis. » Et mox: « Stylus igitur est nobis lingua; artifex autem Spiritus sanctus. » Quærit idem quare Dominus durius responderit cuidam discipulo cupienti sepelire patrem: *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, Matth. VIII. respondetque, hom. XXI. in Matth. ne concionis abrumperet filium, dicens se a parentibus advocatum esse. Similiter durius respondit ei, qui nuntiavit concionanti, foris stare matrem et fratres ejus quærentes eum: *Quæ est mater mea et qui sunt fratres mei? Ecce mater mea et fratres mei*, qui scilicet diligenter audiunt concionem, Matth. XII.

Tertio, neque ad alios attendat, sed ad se. Unde dicitur Prov. XXIII. *Cum sederis ad mensam principis, statue cultrum in gutture tuo*, q. d. tibi præscinde non alios tamquam tibi soli in aurem loquatur concionator. Multi avide audiunt, sed aliis, non sibi applicant audita, similes vini emptoribus, qui aliis non sibi vina emenda delibant, et coquis, qui non sibi, sed aliis, coctos prægantibus cibos. Matth. X. ait Christus discipulis: *Quod in aure auditis prædicare super tecta.* At non legitur Dominus in aurem eis locutus. Vult ergo dicere, id quod publice omnibus dixit, habendum quasi singulis in aurem dixisset, velut ad ipsos tantum, non ad alios spectans.

III. Panem manibus apprehenderunt et ori ingesserunt, masticarunt, glutierunt. Quid hoc? Custodiã indicat verbi divini. Primo, memoriæ tradendum. Quid Petrum in ruinam impulit, nisi oblivio verbi divini, quod prædixerat illi Christus: *Quia antequam gallus cantet bis, ter me negabis?* E contra Scribæ illi, qui verba Christi dicentis: *Diliges Dominum Deum tuum, etc.* accurate retinuit et fideliter repetiit, respondit: *Non es longe a regno Dei*, Marci XII. Pueros esse vult Spiritus sanctus auditores verbi Dei. Ita enim Isa. XXVIII. ait: *Quem docebit scientiam et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Atqui scimus a pueris peti repetitionem traditæ lectionis: quænammodum et Christus post hodiernam refectionem examinavit suos discipulos, quot cophinos sustulissent, quando nunc septem et alias quinque panibus turbam refecit. Unde S. Chrys. hom. V. in Matth. « Non oportet, inquit, omnino a cœtu Ecclesiæ recedentes, contrariis huic studio negotiis implicari; sed domum continuo recedentes, sacros replicare libros, et conjugem pariter liberosque ad eorum, quæ dicta sunt, collationem vocare, bisque alius animo ac penitus insertis, tum demum ad ea, quæ hujus vitæ sunt necessaria curanda procedere. Si enim balneum egressus, publica conventicula evitas, ne beneficium balnei fomento parcum negotia molestiora corrumpant; quanto magis, cum ab Ecclesiæ congregatione regrederis, hoc te oportet efficere? Nunc vero contraria agentes, cuncta disperdimus, nondum quippe utilitate sermonis firmiter in mente defixa, plurimos irruens sæcularium impetus actionum, omnia pariter evelit. »

Secundo, ruminandum. Cibus non masticatus nec digestus stomacho non prodest. Audiamus Sanctum Chrysostomum, hom. XLI. op. imperf. « Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis aut qualemcumque cibum, primum molit eum dentibus, et ita demittit eum in stomachum; sic et cum audimus verbum Dei, necesse est ipsum meditari in ore sensus, et videre quid est quod dicit, aut unde dicit, aut propter quam rem dicit. » Judæis certe præceptum ut legem Dei in manibus ligarent, ponerent inter oculos, in eaque meditentur sedulo domi forisque recumbentes, surgentes, Deut. VI. Cur non faciant hoc et Christiani? Immunda censebantur et animalia, quæ non ruminarent, Levit. XI. atqui: *Ruminans animal innuit divinorum eloquiorum meditationem*, ait Theodoretus, quæst. XI. in Levit. CCXVIII. de temp. submit comparisonem ab avibus; quibus non satis est, postuisse ova, sed opus ea etiam fove-